




**Responsio Petri VVarenborg ab Altenkirchen, ad novum  
scriptum H. Hamelmanni licentiati theologiae &  
superattendentis Oldenburgici, quo conatur probare, cum iis,  
quos ipsi placet Caluinistas & Sacramentarios appellare, non  
esse posthac publico colloquio agendum.**

<https://hdl.handle.net/1874/427715>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:  
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
  - de kopsnede
  - de frontsnede
  - de staartsnede
  - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection  
Huybert van Buchell (1513-1599)**

More information on this collection is available at:  
<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

E. qu.

33




1842

Oct 1842

Vol 3






10


## Theologia

Quarto n°. 283.

1. **Alia** **aliquantum** **minima** **intervallum**  
dicitur copia et invenit  
estiam aliis aliquantum  
de copiorum pars minima est  
in genere multo raroque  
est.



232



N. 23. B.

n. 23. b.

RESPONSIO  
PETRI VVAREN-  
BORG AB ALTENKIRCHEN,  
AD NOVVM SCRIPTVM H. HAMEL-  
manni Licentiati Theologiæ & Superat-  
tendentis Oldenburgici, quo conatur pro-  
bare, cum iis, quos ipsi placet Caluinistas &  
Sacramentarios appellare, non esse  
posthac publico colloquio  
agendum.

PROVERB. CAP. 6.

*Vir improbus & nequam graditur ore peruer-  
so, annuit oculis, terit pede, dígito loqui-  
tur, peruersitate mentis machinatur ma-  
lum, átque omni tempore disidia serit &c.*



*Domini n. Burcholli.*

NEVSTADII IN PALATINATV  
*In Officina Matthaei Harnisch.*  
cI. c. LXXXI.



Q1250123 R

藏文大藏经

PRAEFATIO AD NICOLAVM  
Schonhouium, virum integerrimum.

**V**OD ad me misisti scriptum H.  
Hamelmāni, suauissime Nicolaë, et  
si lectione dignum non iudicauis: ta-  
men tuo postulatu non potui facere,  
quin obiter percurrerem, & quodam saltem quasi  
asterisco notarem, quæ ingenium hominis non  
tantum insigniter confidens & maledicuum esse  
ostendunt, sed & quæ etiam ignarum & stolidum.  
Ut non dubitem compotandi artem ei notiorem  
esse (poculis enim admodum addictū esse aiunt)  
quam scribendi. Quod sit autem homo prorsus  
perficit & frontis μωσεῖαν. Sycophāta, assentator,  
qui se quotidiè in quorumvis etiam peregrino-  
rum & ignororum familiaritatem ac coniuia  
insinuet & ultrò ingerat, ut cum illis potitet,  
iam dudum à pluribus audieram. Hoc vero scri-  
pto, quo me nunc onerasti, ferè nihil aliud video,  
quam calumniosos κονκύρους, quibus impudenter re-  
petit, quæ ipsius olim socius Selneccerus simili o-  
mnino artificio contra Th. Bezam, & nunci-  
terum contra Danaum & Ambrosium V Vol-

fume euomuit. Sed quemadmodum ille tum na-  
ctus est, qui retunderet eius petulantiam, & de-  
inceps, ut spero, nanciscetur: sic non dubito &  
nunc proditurum aliquem, qui fatuitatem &  
inscitiam huius triobolaris Licentiatu[m] mundo  
exhibeat spectādam. Quod et si mihi facere non  
libeat, scilicet cum stercore certare; tamen abuti  
volui unius diei opera, ut hanc responsonem  
intuam gratiam licentiosi hominis maledicētia  
opponere; donec alius existat, qui pro dignitate  
monstrosum scriptorem (constat enim ex ariete  
& viro) excipiat, & nimium lascivienti arieti  
cornua detrudat. Bene vale, & si quid præterea  
moliri eū intellexeris (nescio enim quid grauius  
minetur Sacramentarijs, maius scilicet nactus  
ocium, quem constat tamen bonā temporis par-  
tem ocio & commessionibus transigere) mihi  
quaeso, significā: ut saltē velit andi occasio cum  
tam celebri pugile (que non minima laus mihi  
fuerit) detur. Quamuis enim modō cum ciibili-  
bus hostibus luctemur; tamen non omnino nobis  
negligendi sunt spirituales quōq[ue], qui periculo-  
siss Ecclesia nostra insidiātur, quam illi. Iterum  
vale. Dat. in Altēkirchen, Anno. 1580. Iulij 14.

RESPON-

RESPONSIO PETRI VV  
REN BORG AL TENKIRCHII AD  
Rationes & Argumenta H. Hamelmanni.

*Cur Sacramentarij in colloquio publico  
iam non sint audiendi &c.*



Ommodè nunc disputat Hamelmannus de vi-  
tandis publicis colloquijs, quia ignorantiam  
& calumnias suas metuit detectum iri . Egregi-  
um verò ~~κατηγόρων~~, & compendium soluendæ  
litis, vt exterminentur & deleantur aduersarij sui. Idem  
Nicolaë, scribis placuisse cuidam Bremensium conciona-  
torum, qui cùm in cæteris sit omnium ineptissimus (ve-  
riùs enim caprum gementem, quām hominem aut Eccle-  
siasten ad populum perorantem videri aiunt, qui eum è  
suggestu audiuerunt ) tamen cum viris modestissimis do-  
ctissimisque, quos iudicauit à se dissentire, quamuis id fa-  
miliariter & obnixè postulante magistratu, colloqui recu-  
sârit. Cùm tamen Hamelmannus mirificè ia<sup>c</sup>tet suorum  
~~ταπποταν~~, & falsò nostros fugere lucem hoc ipso libro scri-  
ptitet.

Vltima pag. A.) Nostros appellat hostes omnipo-  
tentia<sup>e</sup>, Maiestatis & veritatis Christi. Quasi verò vnquam  
negauerint Christum esse omnipotentem, aut ei Maiesta-  
tem suam inuideant, vel veritatem eius obscurent. Mera-  
est igitur hæc calumnia insani blateronis. Si verò huma-  
nam Christi naturam omnipotentem esse negamus, ne  
cum Eutychē exæquatione naturarum faciamus earun-  
dem confusionem, id cum ipso Luthero facimus, cum  
quo delitiget hanc causam, si vult. Nihil enim Christo de-  
trahimus, sed sua humanæ eius naturæ ~~ἰδίωματα~~ attribui-  
mus, aliena non cōuenientia haudquaquam ascribimus.

De publi-  
cis collo-  
quijs.

Hostes o-  
mnipoten-  
tiae Christi  
qui sunt.

Non enim eo modo Christum honorari autumamus, sed iniuria affici, vt eleganter & verè Cassianus lib. de incarnat. 1. cap. 1. ait: Non minoris, inquiens, erroris est, Domino Iesu Christo impropria addere, quām propria derogare. Quod enim de illo non ita dicitur, vt est, etiam si honor videatur, iniuria est &c. Nostri ergo intempestiui Encomiastæ, & quæ Christum honorant, atq; ille æditius, qui volens pastoris sui verba corrigere, Christū insigni equo, nō asino insidentē ingressum esse vrbē Hierusalem dixit. Verū Hamelmanno hæc accidunt, quod non nouit, vel non vult inter abstractū & concretum discernere, vel vt calumniani di causam habeat, vel vt imperitis pastoribus pagorum aliquid esse videatur & persuadeat.

De Imaginibus.

Pag. B. 1.) Loquitur de imaginibus, quasi omnes ἀπλῶς imagines damnemus, cùm tamen sciat nos de ijs tantum intelligere, quæ ad cultum, & in publicis fanis prostituuntur. Quas si cum Irene tueri vult, vt tuetur certò, non Israëlitæ, sed Baalitæ erit. De abolendi ratione sollicitus est scilicet, ne quid per vim fiat à priuatis hominibus. Sed etsi néque nostri hoc probant: tamen cum VV. Musc. ausim dicere longè minus coram Deo peccare εἰκόνων λάθος Caluinianos, quām εἰκόνων λάθος Haimelmannicos. Si quid aliquando à nonnullis zelo imperito factum est, Zelum laudo, at scientiam requiro. Sed hæc quoque Sycophanta plausibiliter ad suorum sociorum aures loquitur.

B. 2.) Finem prohibitarū imaginū putat, ne adoren- tur. Quod etsi ei concedatur: tamen non minus Scriptura factionem, quām adorationem vetat. Si enim non fiant, sublata causa est adorationis: Si tamen alicubi factæ repe- riantur, tum etiam cultus adorationis à Deo prohibetur, cuius priuatim, & insuper magistratui, vt remoueant, iubetur. Ibidem loquitur de quatuor colloquijs solennibus cum Calvinistis habitis: Inter quæ leneranum quoddam fuc-

fuerit. De quo equidem nihil anteā audieram, quantum-  
uis ille solenne vocet, propterea quod ipse respondendi  
partes sustinuerit, vel etiam (vt verisimile) p̄s evāliꝝ præ-  
federit, vnā cum alijs quibusdam partim κάροις πεστώτοις,  
partim iudicibus partialibus, quorū censura nullius mo-  
menti sit. Sed ego viros illos bonos (quos memorat) non  
noui, et si imperitos fuisse conijciam earum rerum, de qui-  
bus lis erat, cū Hamelmanno iudicium, velut cato (vt di-  
cisolet) caseum commiserint.'

Ibidē memoratur Stephanus Kempenus nescio quis  
&c. Hoffmannum nescio quem, tanquam imperitè ex im-  
possibili iudicantē reprehēdere. Sed reprehēs or nō minus  
calumniator est, quam Hamelm. Hoffmannus enim ex hy-  
pothesi locutus est pcul dubio quod alij sophistice *αἰσθάνως*  
dīstū rapiebāt. Dare potuit corpus suū Christus, si voluit;  
Dedit etiam, sed non ore & manibus capiēdum. Et Filium  
nobis datū ait Propheta, sed non in os. Quorsum ergo ist-  
hæc exēpla, quē allegāt aduersarij? Quorsum Iacobi Hegge  
fortē non satis instituti palinodia? Aut quid probat incon-  
stantis hominis testimoniū? Prudentissimus verò Rex Da-  
niæ fortē cōmotus est eorum infirmis rationibus, qui cau-  
sam non potuere sufficienter defendere; qualis maior pars  
est Hamelmannorum, si explorentur ad viuum.

Christus ut  
det corpus  
suum.

Secundū colloquium nempe anno 29. Marpurgi cele-  
bratum, constat nō damnasse Zwingianos, in quo tamen  
præcipui Germaniæ doctores afferant. Ergo verisimile,  
non tam vulgaria argumēta allata fuisse pro Zwingli senti-  
tēria, quam nuper abs Hoffmannis & Heggis &c. Quod si  
verò tunc tēporis aliquid contra scripsit Philippus, parum  
refert, posteā enī rectius sapuit. Nec verò etiam vñquam  
Zwinglius dixit de Christo in cōcreto .i. de persona Chri-  
sti, quod nusquā nisi in cōelo sit. De corpore Christi queſtio  
erat, sicut etiam nunc est, quod et si semel à Logo in vnam  
hypostasi assumptū nunquā potuit separari, ne mortuum

quidem; tamen non necesse est esse vbiique sicut ὁ λόγος, ut Vbiquistorum dogma, quod ipse Heschius portentosum vocat, nititur probare. De corpore Christi, inquam quæstio est, calumniator præstigiose, respōde ergo ad rem: Respōde ex verbo Dei, quod verbi ministros decet, nō hominum autoritatibus; quod semper habet petitionis principij speciem, cùm non de ipso textu, sed textus interpretatione quæratur.

B. 6.) Ait ex D. Vnicornio intelligi, quid sit sentendum de scripto Philippi ad Electorem Palatinum: quasi non constet ex alijs maioris autoritatis, quæ optimi viri Philippi sententia fuerit. Cur non igitur malunt tenebriones illi apertè affirmare Philippi errorem esse, quām eundem falso excusare contra autoris mentem? In vsu autem coene verè & substancialiter adesse Christum non negamus, ut néq; in verbo suo deest, néq; in ministris, néque in fidelibus suis, quod Lutherus ex VValdensium Confessione approbavit, & nos omnes credimus.

B. 7.) Quoddam testimonium Philippi Lantgrauij recitat, scilicet fortè non bona fide: Itaque mihi tam facile est hoc negare, quām ipsi affirmare. Sed quid præiudicia humana hīc, inquam, agunt, vbi queritur de veritate diuina? Non moramur modò Ethnicum αὐτὸς ἐφα, sed sacro sanctum illud, Hæc dicit Dominus: cum Theologis agimus, non cum ἀνθρωπολόγοις.

C. 3.) Ex Luthero iterum recitat, qui dicit: Ich kan den Text meines HERREN nicht vorüber/ sondern muß glauben vnd bekennen/dass der Leib Christi da sey. Verūm hæc textus seu τὸ πνεῦμα Christi non habet, si intelligas Ὅα, id est, hīc sub pane latet meum corpus: Tantum igitur hominum glossa est. Cūm verò aduerbiū (Ὅα) locum designet, cur localiter seu locali modo adesse negant corpus Christi? Cur tergiuersantur? Cur pronomen Hoc, mutant in aduerbiū

bium Hic? Discant Grammaticam melius, aut ostendant, vnde potestatem habeant has nimis inauditas enallagas fabricandi.

C.4.) De colloquio tertio quod inter Heidelbergenses & VVirtembergenses habitum, in medio sunt vtrinque protocolla, nihil attinet h̄c quicquam fingere. Mirari magis cogor, quomodo Hamelmannus huius meminisse audeat, in quo tam turpiter se gesserint Schmidelini sui & Brentiani Sophistæ. Hic autem multa balatu suo nititur taxare ineptus aries in summis viris, quæ néque ipse vñquam intellexit, néque reuera taxari possunt, nisi per calumnias. Non distinguit hominem ab humanitate, concretum ab abstracto, non intelligit quid sit vñio personalis, nescit quid sit hypostasin esse humanæ naturæ, ignorat ηοντωνιαν ιδεων παρων, non nouit quæ sit differentia propriatum in Christo: quid ergo mirum, si imperitè de hisce mysterijs scribat? Imò blasphemet s̄aepe, quām benedicat in maximis rebus? Sed age tamen, videamus quædam errorum eius capita paulò latius.

C.6.) Ait, ideo in homine Christo omnia sunt dona In Christo communicatiua, quæ in Deo sunt substantialia. Hæc si ve- qualis o-  
ra sunt, ergo & communicatiua Deitas, & communicati- mnipoten-  
ua omnipotentia in Christo erit, & proinde duplex erit in tia.  
Christo Deitas, & duplex omnipotentia. Atque hinc su-  
met argumentum Arius credendi, Christū non esse Deum  
æternum consubstantiale patri: & Nestorius diuidet  
Christum in duo ipsa uera. Nam quòd putat saluam mane-  
re essentiam diuinitatis, si id quod habet incomunica-  
bile, communicet, nemo vñquam sanus ei concederit. I-  
mò néque humana natura in Christo salua manet, si Dei  
proprietas essentiales realiter acquirit in se. Ut aqua in  
Cana Galilæa proprietatem acquirens vini, aqua non  
manet. Ergo Hamelmannus tam diuinitatem detrahit

homini Christo (cùm communicatiuā ei Deitatem tribuit) quām humanitatē, cùm talem ei attribuit, quæ realiter facta est Deitas. Vel tertium quendam Christum confingit confusum ex duabus diuersissimis naturis, non tantum personaliter vnitis, sed realiter mixtis. Imò, inquam, cum Nestorio duas in Christo personas cōstituit, dum ait, homo in Christo ex participatione habet omnipotentiā, pro eo quod est humanitas in Christo. Nō est enim homo in Christo, sed Christus est homo per assumptionem humanæ naturæ in suam hypostasin. Homo enim personā significat, id est, concretum, quomodo Hamelmannus eam vocem usurpat: Si verò dixisset in Christo homine, pro eo quod est Christi humanitate, omnia sunt communicatiua, aliquid dixisset, quod patrū locutionibus aliquando conueniat. Sed hæc tenuis differentia ab illo non obseruatur, néque ipsius proposito seruit. Visitatum enim ci est, ludere ambiguitatibus sermonis, quo faciliùs incautos decipiatur.

C.7.) Numerat inter proprietates diuinæ naturæ, mori & victimam esse pro peccatis nostris, quas dicit humanæ communicari; sed quis ignorat hæc propria esse naturæ humanæ? Similis farinæ sunt pleraq; quæ sequuntur, nempe ex mera inscitia aut malitia orta.

Vnio personalis.

Ibidē yunionem ait personalem non esse verbalē. Sed nugator insulte, quis vñquā id dixit? nisi fortè Arius? patres aliquādo dicūt communicationē idiomatiū phrasin esse, quia toti personæ realiter, non singulis conueniāt in persona: Et Augustin. per hanc vnitatem personæ Christi, ait, ex vtraq; natura sic constantē, quælibet earū vocabulū alteri (nota tenebrio, vocabulū ait, non rē) attribuit, diuina humanæ, & humana diuinæ. Quid ergo nugaturaries, aut potius quid balat, dū Christo homini excellētias nō infusas sed donatiuas esse ait: quasi inter has differentia sit, quæ infundātur & donētur; Cū néq; nos de īresū, sed essentia libus

libus p̄prietatibus loquamur, quas aliter de Christo homine p̄dicari, quā per idiomatiū cōmunicationē inficiamur.

C.8.) arguere vult Oleianum quasi perperam de dextra Dei locutum. Sed Oleianus de Christo loquitur ut anteassumptam carnem. Sunt ergo hæc mera sophismata, calumniæ, blasphemiaæ. vide protocoll.

D.1.) Humanā Christi naturam partem trinitatis vocat. Sed cogita Hamelmaniace quid dicas, an non reuera sis plus quam Eutychianus, aut potius bardus asinus, aut blasphemus potius Selnecceri discipulus.

Ibidem arguit Vrsinū, quasi ex ipsius sententia sequatur, Christum nunc in cœlo sybariticæ epulas settari, quia corpus eius retineat essentiales suas p̄prietates. Sed simili argumento vritur, ac si quis dicat: H. Hamelm. Linsensato Th. p̄priū est garrire, ergo etiā garriet de reb⁹ diuinis, cùm excesserit ē viuis, & vel in cœlo Vbiquistico, vel in tartaro erit: aut etiam dum pocula haurit spumantia, garrit. Paulò post ait contrarios sibi mutuò esse Vrsinū & Oleianum, quasi alter corum neget, alter affirmet Christum aliquid habere, quod superet proprietates hominis: cùm tamen veterq; Christum credat esse Deum, & humanam eius natūrā præ ceteris omnibus hominibus infinitis excellētibusq; ornatam dotibus. An nondum satis est calumniarum? At mox quid addit? Vrsinum scilicet duo contraria devno homine Christo proferre: quasi id sit absurdum, diuersarum naturarum respectu. Hæc si Hamelman non intelligit, stupidus est: sin dissimulat, sycophanta.

D.3.) Dicit assumptam naturam, id est, humanā reali cōmunicatione esse omnipotentem, quod est inauditū dogma tū cōtra Scripturā S. tum cōtra omnem antiquitatem & ipsum insuper Lutherū; sed si realiter hæc in se habuit humana natura, quænā ergo eam mortuā excitauit? Si seipsum excitauit, ergo reuera nō fuit mortua; sin min⁹,

ergo scipsum non excitauit. Christus tamen recte scipsum excitasse & viuificasse dicitur, cum esset Deus. Sed non ne, quod & ante dixi, ex hac Arietina doctrina sequitur, duplum omnipotentiam & duplum Deitatem esse in Christo? Potentia enim Dei, ac magis omnipotentia eius, ipsius est essentia, ut & ipse Schmidelinus alibi ait. Facesse hinc in pistrinū asine, vna cum tuo Selneccero, qui nescis distinguerre inter dona creaturis communicabilia, & Dei essentiales incommunicabiles proprietates.

D.4.) Bullingerum quasi sibi contradicentem adducit, sed mera est calumnia uel pueris ridicula. Nec iuuat hanc eius calumniam suus Schmidelinus triplici sua consideratione corporis Christi. Hæc enim imaginatio seu phantastica consideratio diuersa, non potest parere diuersam effendi veritatem. Mera igitur hæc nebula est, seu sæpiæ atramentum, quo imperitis obscuratae veritatis aqua elabatur. Ibidē infrā sic suorum aduersariorum sententiā conformat, quasi negent humanā naturā in ditinis & miraculosis operibus aliquid in Christo egisse. Quod tamen mentitur ganeo. Non est enim hæc illorum mens, sed distinguunt semper idiomata naturarum, ut ante dictū est; itaque mendacium est, eos affirmare Christum hominem nihil operatū esse in excitatione mortuorum. Patentur enim locutum esse, lachrymatum esse, porrexisse manum, egisse patri gratias, patrem adorasse, & fecisse quod suum est. Hæccinē nihil sunt? Vide ergo Selneccerianam Sycophantiam. Sed non satis est illis, nisi etiam diuinæ in Christo naturæ propria *identitatem* attribuamus humanæ, & mortem vocemus vitam, imbecillitatem omnipotentia, adorantem adoratum. Vtraque enim natura hæc non habet, sed simul tamensunt in una persona. Quando tandem hæc intelliget non iam aries solūm, sed & asinus Cummanus? fortasse nunquam, vt pote *a ueris gloriā*.

D.6.)

D. 6.) Ait Heidelbergenses &c. Christum astringere  
 loco. Cùm intelligat tamen nugigerulus, aliter se rem ha-  
 bere. Sed quid non agit calumniosus Sycophanta? Qui vel  
 ipsi Christo verba sua peruertere non vereatur. Christus  
 ab illis non adstringitur loco, sed pro natura sua secundùm  
 Scripturam verè describitur. In loco autem eum concludi  
 posse sineget Hamelman, à Maria non conceptum vtero,  
 non gestatum, non partum, non inuolutum pannis, non  
 impositum præsepi, non asino vectum in AEgyptum fu-  
 gisse, non rursus asino ingressum Hierusalem, non docui-  
 se in templo, non captum in horto, non in cruce suspen-  
 sum, non depositum in sepulchro, non inde resurrexis-  
 se, non fuisse in Emaunte cum duobus discipulis, non  
 in conclavi cum Apostolis stetisse, non denique ascendisse  
 & nunc in cœlo esse, aut, vt Hesshusius loquitur, cōclusum  
 esse fateatur oportet. Quorum postremum quòd nim-  
 rum in cœlo Christus corpore suo non sit, liberè nimis &  
 sine omni pudore, cum infamia totius suæ factionis, qui  
 fuere olim, & contra omnem denique piam & sanam an-  
 tiquitatem asserere non erubescit. Quid ita? Quia scilicet  
 super omnes cœlos Scriptura ait Christum ascendisse, er-  
 go nullos supra se reliquit. Puerile est sophisma. Omnes  
 cœlos aspectabiles penetrauit Christus, & cœpit seu ca-  
 ptus, id est, exceptus est à supremo cœlo, in quo exaltatus  
 est ad dextram patris, & vnde in nubes descendet ad iudi-  
 cium extremo die, non antè, teste D. Petro. Quòd si verò  
 illud supremum cœlum nusquam est, in quo Christus est,  
 ergo & rectè Christus nusquam esse dici potest. Item, si non  
 est illud cœlum sursum, cur ergo ascendit in altum Chri-  
 stus? Cur nubes cū except? Quomodo sursum aspctarunt  
 eum abeuntem, Apostoli? An fortè abiuit visum astra & fir-  
 mamentum & mox redijt, & deinde inuisibilis factus hīc  
 nobiscum assidue versatur? ô temerarium iudicium, ô

Christus  
in loco.

impietatem excrablem! In pascua arietem, ut graminavoret; mysteria Dei non conueniunt tam brutæ & prophæ beluæ. Interim non ignoramus, quemadmodum pugnantia quæ videntur, Scripturæ loca pro diuersa Christi natura reætè hîc sint secunda & intelligenda, ne iners ~~λεπτό-~~  
~~λογί-~~ noua nobis obganniar sophismata.

De Christi  
omnisciē-  
tia.

D. 7.) Hîc se prodit strenuus Dialetticus, vel ~~τύπος~~ potius ~~τυπογράφους~~. Iustus Iudex (ait) iustè debet iudicare : Quod autem iudicabit, necesse est ut tantè habeat cognitū. Cùm ergo Christ⁹ omnia dicta, facta, cogitata hominū iudicare & quidē iustè debeat, illa omnia cognita habeat oportet. Ergo secundūm suam naturam humanā eum oportet esse ~~καρδιογνώστην~~. Tenet consequentia in Baroco, æquè ac si quis ratiocinetur: H. Hamelmannus differit, ergo oculis & auribus vtitur dialeticæ artificio: Vel in popina potitat, ergo anima eius paulò post incibriabitur vino. Sed pag. sequenti vult institutum suum syllogismū confirmare, id est, actum agere: Non enim dubitamus, Christum corda nostra, & cogitationes nostras videre: quia Deus est, nō tantūm homo. Sed ob id non sequitur, humanam eius naturam Deū esse, aut idiomata Dei in se realiter habere, quæ solummodo possidet in persona, & iuxta Damascenum, ~~κατὰ ἀλλο~~. Satis igitur appetit rudenter hunc asinum nunquam adhuc agnouisse Christū, nisi more Nestorij & Eutychis. Lutherus autem ex Scriptura negat humanam in Christo naturam semper omnia sciuisse, cùm tamen, quandiu fuit, semper diuinæ naturæ fuerit vnta. Ergo quæ sequuntur ~~παρεξηγήσεις~~ Hamelmanni nihil ad controuersiam faciunt.

E. 2.) Non vertitur in dubiū à nobis, videlicet omnisciā & occultorum notitiam tam homini Christo couenire, quam Deo ipsi. Quia homo Christus Deus est, & quidē ipse Deus Ichoua. Quod D. Petro quoq; aliquid diuinitus fuit reuelatū, id similiter Christi humanæ naturæ sære & excellēter contigit: Scriptura enim sapiētia & gra-

tia creuisse eum dicit. An tu non credis Scripturis spermo-  
loge? Ex huius enim ignorantia vel vera vel affectata nasci-  
tur tua disputatio, ariete & asino digna.

Pag. E. 3.) Quærit stolidus Licetius, vbi futuræ sint a-  
nimæ beatorū hominum terra & cœlo deletis: ego malim De cœlo.  
dicere innouatis. Respondemus, cū Christo erunt, ex eodē  
cum illo cœlo venientes, in quod sublati sunt. Si aries ho-  
rū mysteriorū rationem nondū nouit, si néq; nos ipsi hæc  
planè cognita habemus, ergoné æquū est, vt eludamus, &  
cœlū nullum, vel nondum creatum, in quo Christus est, di-  
camus? Verum enim uero quorsum hæc de cœlo tam anxia  
disputatio, nisi vt Vbi quisticum cœlum, velut nouam A-  
mericam inueniant, ex quo excludi non possunt.

Ibid. Inquirit quemadmodum Christus è sepulchro  
euaserit, & suorū aduersariorum diuersas sententias cona-  
tur proferre. Sed parū proficit: Etsi cōstet, non multū ~~acē~~  
~~tu~~ ~~χριστὸν~~ faciat. Respicie ña Christi natura humana, qualis  
fuerit in prima cœna, cū panē Eucharisticū (quem ipse ap-  
pellabat corp' suū, hoc est, ~~κοινωνίαν~~ corporis sui, vel testamē-  
tū in corpore suo, quod de calice dixit, & de pane æquè in-  
telligit) discipulis daret, & eo vt̄tes mortē suā annunciarī  
iussit. Hęc simpliciter si crederem⁹, & incorrupte agerem⁹,  
nō opus esset hisce nugacibus Hamelmaniacis argumētis.

E. 5.) Miratur Vrsinū Christi humanā naturā impoten-  
tiorē facere ipso Angelo, cuius opera reuolui lapidē à mo-  
numēto oportuerit. Sed ppterā seruus nō est potior Do-  
mino, quod Dominus eius alicubi tatur seruitio. Deinde  
quis neget humanam Christi naturam infirmiorem fuisse  
aliquādo angelis, quippè quæ per angelū aliquando sit cō-  
firmata, & tandem succubuerit morti? Sed hæc Hamel-  
manno fortassis phantasmata Marcionitica vidētur, quē  
admodū corp' Christi & cœlū ipsum instar spectra esse cre-  
dit. Vnde paulò inferi⁹ magniloquus Thraso insurgit & se-  
ſe effert, dignéq; miseros Schyvermeros excipit. Nō cethic

Christus (inquit) in sepulchro, id est, non videtis eum hic  
 (Quasi de eo dubitauerint, quod nimis sollicitè desidera-  
 bāt) Inuisibilis factus est. Quis verò ei hoc reuelauit, ita an-  
 gelum intellexisse? Aut vnde habet præsentē corpore Chri-  
 stum fuisse, quem oculis non videbant? Hæc an non præ-  
 uaricatio est? ita omnia mysteria Dei ludicris glossis impu-  
 rare? Hinc igitur sequitur secundūm Hamelman, non verè  
 Christum mortuum, non verè sepultum, non verè resur-  
 rexisse, id est, sepulchrum reliquisse, non verè suis præces-  
 sisse in Galilæam &c. Atque omnia hæc ex Schmidlini-  
 Officina hausit industrius discipulus, & charus Selnecc-  
 ri commilito.

E. 7.) Ostentat tropæa sua singulari (En): En, inquit,  
 lector quām inter se factiosi isti collegæ pugnant. Scilicet  
 quia in explicandis quibusdam incertis S. locis diuersam  
 sequantur sententiam: De quibus tamen néque ipse certi  
 aliquid potest affirmare: Et quæ parum ad rem præsen-  
 tem faciunt, quantumvis intelligentur. Fatemur tamen  
 multa præter naturam seu *ἰπερφυσικῶς* in Christi corpore es-  
 se acta, non corporis, sed diuinæ naturæ vi, quæ & ipsum, vt  
 ante diximus, mortuum excitauit: Nisi etiam mortuum  
 corpus seipsum excitasse dicet, ad quidlibet dicendum Li-  
 centia donatus Hamelman: Vnde sequatur, reuera mor-  
 tuum non fuisse, si vita in eo latuit, aut viuificatrix vis ab  
 eo non discessit.

Ibidem vrget scilicet Vrsinum acutus disputator,  
 vt respondeat, annoꝝ æquè sit Christo possibile porrigere  
 corpus, átque illud ipsum corpus suum in pluribus simul  
 locis fistere? Si Elenchi doctrinam melius didicisset à suo  
 quondam hero Gropperō Coloniensi, non tam multa in-  
 eptè quæreret. Darc suum corpus simul potest omnibus  
 suis fidelibus, sed non corporaliter in singulorum ora si-  
 mul ingredi, quia contradictoria non vult, néque mentiri  
 potest

poteſt, more Hamelmaniaco. An verò Hamelman non credit nos ~~cuorā p̄us~~ fieri Christo in baptismo? in quem igitur implantantur paruuli? Cuius ſanguine abluuntur? An hæc quóq; corporaliter, id eft, modo corporeo fieri dicet? Cur non igitur æquè de corporali præſentia in baptismo, atq; in coena Domini diſputant? At diuersiſſima ſunt, dare cor-  
puſ ſuum Chriſtum, & illud in multis ſimul vno momen-  
to locis conſtituere.

E.8.) Concludit angelos non diſiungi à cœlo, etiamſi in terris ſint. Vnde ego viſiſim concludo vnā cum sanctis patribus, Si angeli vno eodemque tempore in diuersis lo-  
cis, vel vbi que ſunt, angelos quóque Deos eſt. Nam vbi-  
que. Angelian  
ſint vbi-  
que.  
quitas, ſecundūm illorum quóque teſtimonia, Deitatē ſe-  
cum trahit, vt anteà ex personali vniōne hæc proprietas à  
noſtriſ antagoniſtiſ aſſerta eſt humanae Christi natura. Vt  
ciuſmodi ratiocinatio ex illorum dictis ſequatur: Quic-  
quid vbi que eſt, Deus eſt, humana Christi natura vbiq; eſt,  
ergo Deus eſt: vel, angeli vbi que ſunt, ergo dij ſunt. Sela.

Pag. F.1.) Vbi Christus de ſua abſentia, & pauperum præſentia loquitur, mirificè hæc commentatur Licentio-  
ſus Superattendens; ſed id facit contra communem anti-  
quitatis conſenſum; fruatur igitur & delectetur morio  
ſuo clauo. Nos cum vera Eccleſia ſentimus, Christum lo-  
qui de ſubſtantia, non de qualitate ſuī corporis, dum illud  
non ſemper nobiſcum futurum prædicit. Ergo hīc noua  
paradoxa, & hæreſes veteribus ignotæ, Hamelmanno gra-  
tissimæ traduntur.

F.2.) Diſputationem cum Vrſino, cui valde acris eſt  
hostis, inchoat de mundo, luditque pueriliter in æquiuo-  
catione vocabuli (mundus) & ſunt, gerræ ſiculae indignæ  
Theologo, & ad Theologos. Verūm ſcurræ etiam inter  
honestos ludere ſolent.

Ibidem ait, Christus vadit ad Patrem non localimo

do, sed eatenus &c. Deus bone quanta confidentia & quidem contra omnem antiquitatem! Ergo nouus est Doctor Hamelman & vetus hæreticus, & si non ad ignem, saltē ad stiuam relegandus fuerit. Vrsinus recte ex patribus docet, quomodo Christus abierit, & quomodo in cœlo sit, etiā si hic affectatus sophista omnia nitatur eludere falsa suorū interpretatione, vel præfacta malitia, qua tamen nulli prudenti fidem facit: Néque cum Vrsino solum, sed cum vniuerso doctorum piorumq; maiorum choro luctatur, quos durum ei erit erroris conuincere.

Præsens Ec-  
clesię Chri-  
stus.

F.5.) Suo more ambidextrè inquit, Christum vt mediatorem, id est, non minus hominem, quam Deum Ecclesiæ suæ adesse, eamq; regere, & nisi hanc consolationem habeamus, sequi dicit rursus Papisticā dubitationē: quod ego de Papistis me legere non memini. Verūm quis ei eripit hanc consolationem? Non certe absentia corporalis, néque ulli illius doctores. Imò Christus ait, paracletum & verum consolatorem non venturum, nisi abeat, id est, corpore amoueat, item Spiritum S. nō venturum, qui ipsos in omnem veritatem adducat. Non mirum est igitur Hamelmanniacos ignaros & non capaces esse veritatis, cùm careant Spiritu S. hoc autem careant, quia Christum abiisse (corpo re inquam suo) non credunt. Quæ subsequuntur, calumniæ & fatuitates sunt, quibus suum errorem alijs attribuit securus bonorum insectator. Videat, inquit, lector, si non potest mihi adesse Christus homo &c. At Simia Schmidelinica vel Selneccerina, quis negat posse ~~os à trāns:~~ potest omnia quæ vult: Vult autem quæ naturæ suæ sunt conuenientia, id est, quæ veritati ipsius congruunt, quam non cuerit eius omnipotentia. Et quia nos personam omnipotentem credimus, & præterea ex verbo ipsius discimus, sua carne ipsum alere nos velle etiam in hac vita, & nos hac præparare ad immortalem resurrectionem, quam car-

carnem tamen in cœlo esse nunc dicimus: ob id etiam hoc eum posse constanter credimus: Tu verò non posse credis, nisi hīc corporaliter in hoc mundo, imò in ore tuo sit, oré que comedatur. Quod est dogma omnijm absurdissimum, nullique seculo notum aut creditum, nisi qui Bacchum & Cererem Deos esse putarunt. Dic igitur per Mūsam subtilis disputator, qui omnes doctos viros nosti acumine ingenij velut aries cornibus ferire, dic vtri plus tribuant omnipotentiæ Christi, nos qui corpore absentem (respectu & situ loci) alere tamen suos fideles sua carne credimus, & carnem ex carne sua, osque ex ossibus suis facere: ante tuosque, qui id non posse, nisi præsens corporaliter adsit? Quorsum ergo tuæ scurriles calumniæ, dignæ quæ fustibus puniantur?

F. 6.) Iubet Christianum lectorem aures arrigere, vt scilicet intelligat pudēdam ipsius inscitiam & calumnias, quibus conatur demonstrare humanam Christi naturam omnisciā esse in se: *οὐ μόνον γετί ἀλλο*: atque hīc nefariè hallucinatos Sturmium & Vrsinum & reliquos, imò blasphemiam dicere Christo vociferatur fureifer. Verūm vicissim arrigat aures Pamphilus, aut potius asinus Arcadicus, Sturmium & Vrsinum non intelligere, sicut quadruplator Hamelman ipsorum dicta peruersè interpretatur, *Nicht mit der Menschheit/ hoc est, absq; huic ana natura, à qua sèparatur unquam, sed quòd Alles regieren vnd erhalten/ non sit idioma humanæ Christi naturæ, quæ & ipsa sustentatur à diuina: De tota verò persona rectè dici, Daz Christus alles erhalte/nunquam negant.* Quòd verò & sanctis hominibus iudicium & regimen aliquādo Scriptura attribuit, id quoque aliqua, nō totali illis donata potestate, & quidē *accidenti*, non propria, vt in Christo, fieri intelligunt illi quidē: nisi tot Christos, hi homines arietini facere velint, quot sunt beati in cœlis. Aut si non perfecti Christi, quia

non omnia illis communicari dicēt, sicut Christo: tamen aliquo saltē modo Christierūt, atq; hæc etiam errorum portenta Hamelmanniacis accidunt eò, quòd non didicerint rectè definire personalem vniōnem.

F. 8.) videtur Christo tribucrē secundūm carnē, quòd sit alpha & o: quo quid magis nefarium dici possit? seque-  
retur enim inde, humanam Christi naturam etiam in prin-  
cipio cum Verbo fuisse. En temerarium disputatorem; qui  
viros pios & cordatos audet suo nomine appellare mon-  
strosos, sceleratos, inscitos, ipse monstruosissimus stupidis-  
simusque aries.

Pag. G. 1.) Mendacium impingit aduersarijs mendax adulator & maledicus conuiciator, quasi quæ sunt media-  
toris officia, illi hæc Christo verbaliter, non realiter attri-  
buant. Verūm hic asinus non nouit nisi rudere. Non enim intelligit distinguenda esse idiomata quæ sunt in Christo,  
quia Christum non nouit.

G. 2.) Inuoluit quædam de Vrsini & Boquini Antilo-  
gijs, & censuram magnifici Schmidelini illis opponit. Vr-  
sinus autem cum Vigilio loquitur, Schmidelinus sui cor-  
dis figmenta profert. Sed videatur de hiscerebus proto-  
coll. Heidelbergensium. Longum est mēdacia refutare. Ita  
sequentibus paginis multa gannit de dextra Dei, & desel-  
sione ad dextram, sed omnia calumniosè, & proinde re-  
sponsione indigna. vide protocoll, & Gegenbericht Heidel-  
bergensium.

G. 8.) Qui recessit ab eis, cum adorarunt. Quid ni?  
quia Deus erat: & vicissim adorauit Patrem, quia homo.  
Hæc stupiditas asini Cumaninon intelligit, aut præ crapa-  
la non videt, mente oculisque cæcutiens commissator pa-  
rasiticus.

Ibidem taxat Vrsinum, quasi non recte definiat,  
quid

quid sit in forma serui esse, & in forma Dei: remittendus autem aries in pascua sanctorum Patrum, vt ibi discat me-  
lius, quæ perperam didicit, & imperitè reprehendit. Deus se-  
bone, quid non audet præfracta ignorantia! Vix me conti-  
neo, heus Beza, fustibus hūc subige asinum, & in pistrinum  
dede: calcibus enim ferit obuios quōsq;, & se Leonis vēdi-  
tat pelle, cùm reuera asininas prodatauriculas.

Pag. H. 3.) Ex Cyrillo hæc verba recitat: caro Christi viuificat non secundūm propriam naturam, sed secun-  
dūm vniōnem cum viuente verbo, Hīc si quid humani cerebri haberet Ha- elman (arietini seu asinini plus satishab-  
bet) se ipsumme suo iugulare gladio videret; quid enim aliud nostri docent? sed non *καὶ ἄλλο*, ait, vt nostri aduersarij &c. Hīc rurstis se prodit asinina stupiditas. Quid est aliud hīc *καὶ ἄλλο*, quām non secundūm propriam naturam, sed secundūm diuinam, cum qua in vnam hypostasin est vni-  
ta? Nam his verbis *ἄλλο γέ ἄλλο*, Cyrus & Damascenus intel-  
ligunt diuersas naturas Christi. Ergo ipſus est, qui omnia inuoluit, nō aduersarij: ipse omnia ignoranter simul &  
malitiosè miscet, vt ansam habeat calumniandi. Miseræ-  
oues, quæ tales naclæ sunt Pastores. Quæ sequuntur, sub-  
tiles nugæ, & impudentes strophæ sunt.

H. 5.) Scriptura dicit nos in æterna vita angelis fore si-  
miles, mox inquit, ergo cœlestia beatorū corpora nō sem-  
per sunt visibilia, aut palpabilia, ô acumen arietinū! in fine  
sui scripti ex Haymone ait semper fore palpabilia. Sed re-  
pondeo tribus verbis, Angeli nunquam palpari possunt,  
quia ossa & carnem non habent. Videbuntur autem olim  
à nobis, vt & Deus, sed alijs oculis, quām quales nunchabe-  
mus, aut quales habituri sunt eiusmodi verorum dogma-  
tum illusores.

Ibidem infrà accusat nostros, quòd non recipiant for-  
mulas in, cum, sub &c, tres sanè prorsus *περιπάχητας* particu-

Ias, néque à Spiritu S. sed ab hominibus inuectas: quas et si aduersarij Hamelmanni, non recipient ipsius sensu, non reiiciunt tamē penitus. Subiungit deinde nimium Licentiatus, & plus quā vrbanus scriptor, perbellas quasdā paronomasias, & Dillerum nominat Dullerū, Boquinū Bouinum, Oleuanū Oleastrū &c. quibus si suā addidisset vulgo iam notā pro Hamelman Sāmelman, vt intelligeretur insātiabilis esse avaritiæ, cōplesset numerum scurrilitatis suæ.

Ibid. Boquinum notat tāquam prauè de vnione personali loquentem, sed ipse tam bardè de his rebus scribit, vt nihil vnquā rectè intellectissime manifestè probet, quemadmodum δ λόγος in suo templo, id est, Christi humana natura habitet, eāmq; sustentet, id est, ὑπόστασις sit humanæ naturæ. Atq; sic λόγος in nullo sanctorum est, propterea nulli sancti dij sunt, et si diuini dicantur propter excellētia Dei dona. Hic in theologiæ lauream præferat, qui professionis suæ summos articulos tam fœdè conspurcat? Sola quantitate donorum Christum Deū esse vult præstigiosus Licentiatus. Vnde sequitur, omnes sanctos aliquaten⁹ esse Deos & diuinæ naturæ hypostaticè vnitos. ὁ securam blasphemiam! Hæc autē impijissima dogmata nostro tempore docuit Brentius & Schmidlinus, olim Arius, nunc Amphibius Aries, & ipsius condiscipulus Sellecker.

H.6.) Negare videtur contra Scripturā & Lutheri mētem, filium hominis secundūm naturam suam humanam pléraque ignorare. Sed hæc ex primo errorum ipsius fonte oriūtur omnia. Quia ergo Lutheri discipulus esse nō vult, sed Iacobi Andr. alegandus est Tübinger, non fouēdus Oldenburgi, ybi se profitentur sectatores Lutheri esse. In subseq̄tibus reprehendit Heidelbergenses, quod perperā docēant de omnipotētia Christi: sed omnia rudissimū mancipiū declarāt, qui nihil nisi stercora suorū doctorum legit.

Mox deinde de cœlo locuturus asinus syllogisans, ostend-

stendit, se maiorem habere notitiam popinæ, quām loci tam excelsi: cuius etsi néque nos in hac vita rationem omnem intelligamus: tamen esse creatum, non adhuc creandum, vt Faber docet, scimus, & quidem supra aspectabiles cœlos esse, vbi Christus & beati mortui sunt; nisi spectaculum comicum ex Christi ascensione in altum cum suo Schmidlino fabricare velit, quod suorum plerōsq; non pudet facere. Garriat igitur aliquid de suo Brentiano cœlo & beatorum domicilio, nos tamen in hoc Flaccianorum ubiquario cœlo, in quo & bruta & cacodæmones sunt, esse non cupimus.

Pag I. i.) Repetit Schyvermeros (sic enim Licentiatus licet veros doctores nominare) affirmare, Christum non habuisse gloriam suam ante resurrectionem. Habuit sanè gloriam, sed non ita, vt posteà; cur enim alioquia ascendisse, cur exaltatum esse ad dextram Dei, ibiq; sedere equali cum patre Maiestate Scriptura referret? Anné hæc Hamelmanno præstigiæ comicæ sunt? Habuit ante resurrectionem gloriam Christus, sed non vniuersam, non syncerā, vtpote cui imbecillitas adhuc fuerit adiuncta, & ob id in potentia verius quām actu habuit, teste ipso suo fabello. Ergo Hamelman rectius Schyvermeri titulo dignus, & nihilominus futilis sophista est.

I. 3.) Arguit aduersarios suos symmystas mala consequiæ, quod dixerint memoriam Christi passi celebrari in coena, ergo absentē esse: præsentis enim frustrā memoriam celebrari. Opponit ipse festa veteris Testamēti, quibus Domini celebraretur memoria, qui tamē illis præsens fuerit. Egregiū argumentū D. Licentiati à creatore ad naturā creatam arguere: hoc didicita coquo sui heri Coloniensis. Non negat tamē Christum abesse à coena, sicut néque abest à Baptismo, néq; verbo, néq; ministris & fidelibus suis: sed non corporaliter his adest. Ergo hæc ~~est~~ ~~est~~.

Explicatio I. 4.) Vult probare nescio cuius Magistri responso, in  
propositio Christi verbis non esse tropum, id est, mutationem pro-  
nis Christi, priæ significationis. Sed si in his Christi verbis nullum tro-  
pus est cor meum agnoscit Magister ille, transeat ad Papistas. Cùm verò  
&c.

de altera parte coenæ audit, Calix est Testamentum no-  
uum in Christi sanguine: Si non híc admittit tropum, i-  
dem ei erit calix aut vinum, quod nouum Testamentum:  
cùm tamen verum sit, esse signa sacra seu Sacra menta vel  
~~et signa~~ noui Testamenti. Verius ergo & simplicius fuerit  
(quo solo obseruato potuissent vitari omnes veteres &  
noui sacramentarij errores) si totum prædicatum propo-  
sitionis Christi, vt fit in sacramentali locutione, tropicè in-  
telligatur, nempe esse corpus Christi, pro eo quod est, esse  
signum vel sigillum corporis Christi: Esse nouum Testa-  
mentum in sanguine, id est, esse Sacramentum noui Testa-  
menti quod in sanguine Christi peractum est. Obscro te,  
mi Nocolaë, quid híc impium est? quid reprehensione di-  
gnū? Nonné hæc vera Christi mens fuit? An quicquam pre-  
tereat de pane & calice dici potest, quām nequaquam nuda  
& vacua signa, sed Sacramenta vel Sacramentalia signa esse,  
rerum tam sacrosanctorum? Potestne maior dignitas exter-  
nis elementis contingere, quām vt à Domino ad res tantas  
non solùm significandas, sed & obsignandas eóque modo  
quasi offerendas & exhibendas fidelibus instituantur &  
fanciantur? Quid igitur tumultuamur, quid querimus,  
quid litigamus? Sed abrumpo hanc disputationem, cùm  
de hac causa probè inter nos constet; de aduersarijs verò  
exigua spes sit emendationis. Multi etiam inter eos tam  
sunt improbo ingenio, vt etiamsi videant & tacitè secum  
fateantur hanc, quam dixi, æternam & irrefragabilem esse  
veritatem, repugnant tamen & tergiuersentur, ne conuicti  
erroris alicuius videantur, neué ab alijs aliquid didicisse,  
id est, ne homines videātur fuisse. Sunt igitur potius bestiæ  
arietes,

arietes, vel asini, qualis est vester Hamelmannus & socius eius ~~paſſus~~ Selneccerulus.

Ibidem. Aduersarij Hamelmanni ex ascensione Christi probarant fortè absentiam corporalem eius in cœna, sed responsum dicit, ascensionem Christi fuisse exaltationem ad dextram Dei &c. Nota autem hīc sacrilegum Superattendentem suffurari nobis velle articulum fidei de corporali ascensione Christi in supremum cœlum, quem articulum miscet cum illo qui est de sessione ad dextram: cū tamen omnes antiqui peculiarem & distinctum articulum iudicauerint esse. Sed istis Licentiatis tabularum corruptoribus licet quicquid libet.

I.s.) Affirmat carnē Christi non absorberiā diuinitate, sed iuxta Theodoreti doctrinā manere. Quomodo verò maneat sine proprietatis essentialibus, vt ignis sine calore, equidē non video. An nō ergo Hamelman Christo attribuit corpus non reale, sed verbale? Et paulò inferius ait, Christi corpus nobis exhiberi in cœna supernaturali modo. Cur nobiscum non dicunt spirituali modo, cū midem sentire videantur? tergiuersantes Protei! Cur addūt corporalem præsentiam necessariam esse, quæ in modo supernaturali non erat requirenda? Nam præsentiam corporalem fingere supernaturalēm esse (eo enim modo præsens est corpus Christi in pane, quo exhibetur, & vicissim eo exhibetur, quo præsens est) implicat contradictionem. Et utraque vox (corporalis & supernaturalis) modum significat, & quidem alteri mutuo que contrarium. Verū hi Domini fidei & Grammaticis imperare possunt, vt ipsis significant vocabula quodcumque velint, & instituto ipsorum seruant.

Item ibidem arguit suos aduersarios imperitæ rationeinationis, quod quatuor terminos pro tribus posuerint in uno tylogismo. Sed non fuerint quatuor, si a sinus recte

possit numerare & Συνάογει. Nam mortuum intelligunt pro ratione edendi corpus Christi: ac si dicerent, mortui spiritualiter, non edunt corpus Christi spiritualiter: sed panem, qui corporis Christi nomen habet, edere possunt.

Ibid. sequenti pag. Affirmat vocem (corporaliter) rem denotare, (idem dixit olim & VVestphalus) & hanc veraciter cum signo sumi ait. Possem totum concedere, si bene distinguatur. Sed quis Grammaticus eos docuit, aduerbia qualitatis, res ipsas, in quibus illæ accidunt, significare? Sed arietes ἄλογοι sunt, sermonis humani expertes. Similis est sequēs oratio, qua Hamelman vult Augustinum corriger. Sed infeliciter: prodit enim auriculas asininas potius. Verūm quia präsidet ἐν αὐλή τοις, omnia ei facere contra miseros Sacramentarios fas est.

I. 6.) Mirificè se effert cuiusdam vulgaris & non satis instructi Symmystæ collaudatione, quòd admodum expeditè potuerit aduersariorum argumenta diluere ex antiquorum sententijs. Stulta arrogantia. Recitat mox & Athenensis cuiusdam poëtæ sui collegæ præclarū epigrāma & Hamelmanno periucūdum. Nam ipse quóq; Musicę peritus est, vt asini solent. Verūm hoc sciat cū suo poëta Atheniensi, maledicere viris bonis, nō esse rectè πατροδοτεῖ. Nā Ignatiuseiusmodi ascribit spiritui erratico; quo in genere p̄cipuè valet, per omnia Licētiato similis, D. Nicl. Selneç.

I. 7.) Confert nostrorū errores cum veterum quorundam hæresibus, sed tam sycophanticè, quàm falsò. Ex uno reliqua cognosces. Arius (ait) in carne Christum non esse adorandum dixit: Idem dixit Beza. Verūm quæ maior in iuria, quod impudētius mendacium de Beza spargere posset: à quo tam procul abest Beza, quàm procul Hamelman à veritate. Beza enim dicit Christum semper & ubiq; adorandum, sed huius cultus causam pendere ex æterna Christi diuinitate.

I. 8.)

I. 8.) Ex Cyrillo affert, solam dignitatis aut potestatis æqualitatem non posse vniuersitate in unam hypostasim naturas: Atqui hac doctrina planè expugnatur Flaccianorum dogma de personali vniione, quam sola donorum tranfusione metiuntur, cui & Hamelman consentit.

Pag. K. 1.) Dicit aduersarios suos truncatim patrū dicta allegare, quod ipsi perpetuum est, & quidē in alienam sententiam detorquere. Veniatur igitur in rem præsentem, inspiciantur ipsa illorum scripta. Nec vnius Morlini testimonium tantum valet, vt aduersarios conuincere possit.

K. 3.) Affirmat tempore necessitatibus mulierem posse baptizare. Duo hīc peccat, primò, quòd velut Papistarum collusor fingat sibi necessitatē, quæ nulla est: Deinde quòd contra Christum, Apostolos, primāq; Ecclesiā ministriū hoc baptizādi asserat mulieribus. An verò qui minister non est, ei ministerium conuenit? Sed si vrgeat necessitas? Hac igitur necessitate à se tandem, non ab Apostolis animaduersa ἀταξία inuehet in Ecclesiam fanaticus Licentius, aut per maiorum errorem inuestigam defendet. Cur autem Euangelicus Superattendens non potius recurrit ad initium, quo sic non fuit; & ad quod semper in reformato erat spectandum, Cùm nihil aliud sit reformare, quām ad primam formam redigere?

K. 4.) Iactat se magnificus Thraso egregium certamen certasse contra Casparum Isselburgum (à quo mortuo canis dentes abstinere non potest, quem viuum non ausus est lacefere) pro priuata absolutione. Tam strenuus est Ecclesiarum reformator Hamelmannus, vt etiam pro stercoribus pontificijs, vel ipsius potius cacodæmonis depugnare non vereatur. Sed similes habent labra laetus,

Es gehöret den Hämelen Hem dem Esel Disteln.

K. 5.) Exemplo vnius Isselburgi reliquos omnes censi  
seri vult. Sed liber autoris in medio est, legat ipse, qui veri  
tatem vult cognoscere, néque ex hostis ore iudicium ferat.  
Deinde etiam non est æquum ex vnius errato, sicubi ille  
errauit, cæteros iudicare; aut iam dudum omnes Hamel  
manniaci condemnati fuissent.

Ibidem de quibusdam honestis viris, ut Hemmingio  
& VVitenbergensibus nonnullis doctoribus falsum testi  
monium refert, quod ex ore maleuolorum leuiteraruptū  
in suam quoque historiam transscripsit, mendaciorum  
consarcinator: qualium mendacium historiarum ipsum  
nunquam pudet. Quemadmodum & nuper de senatu Bre  
mensi in synodos suas mendacium retulit publicum, quasi  
aduersarios suos vi è sede sua & ciuitate exturbauerint:  
Quod tamen non ita se habere, ipsa Cæsarea maiestas &  
totum Imperium nouit. Quos cùm hic mendax historicus  
obliquè iniustitia & iniquè latæ sententiæ audet insimu  
lare (cur enim violentia & seditionis reos absoluissent: I  
mò cur in acceptis officijs & dignitatibus confirmassent?)  
qua pœna dignus sit, relinquo magistratui decernendum.

Ibidem vocat aduersarios suos seditiones *εἰνονολάσας*,  
ad concitandum illis odium imperitorum & supersticio  
rum hominum. Sed risu dignum est, quòd incertos & i  
dololatrico cultu vitiatos cineres D. Martini pluris faciat,  
quàm æneum serpentem ab ipso Deo institutum, ac à rege  
Ezechia reiectum ac contritum. Vocet ergo malitiosos  
nebulones suo scilicet nomine, qui idola demoliti sunt  
in Belgio, illiviciissim hunc Linsensatum proprio nomine  
appellabunt Sacerdotem Baal, Irenæ Imperatricis capel  
lanum. Idolorum patronum, simulachrorum cultorem.  
Et hæc ita se habere *τὸ πεῖγμα αὐτὸ βοῦ*, cùm, vt scribis, medius  
inter ipsas statuas munus suum sacerdotale obeat, & ne  
verbo quidē audeat attingere tam abominabiles in Eccle  
sia

fia corruptelas, ne hominum amittat fauorem.

K.6.) Multa mentitur de aduersarijs suis sine vlo pudore, quasi omnes alij tam ignari sint rerum gestarū quām ipse: verū anteā ad ea satis est responsum. Quod ex Augustino blaterat, ipsi non conuenit, sed aduersarijs. Augustinus enim omnia illa sanè dicit, sed Hamelmann non sanè intelligit; ludit enim meris ambiguitatibus, potissimum in verbis edendi, bibendi, corporis, sanguinis. Sed quæ est, inquit, consequentia quam Augustino ascribunt, Debet signum corporis sui, ergo non dedit corpus suum? Magistralis reprehensio. Sed Augustino satis constitit sua cōsequentia, & quo sensu præmissas suas intellexit, eo recte infert consequentiam, non hoc corpus &c. Vide ut asinus sophisticam exerceat, quem meritò pistrinum exercere debuit. Sed nodum soluit ipse in sequentibus, fortè adatus conscientia.

Pag. L. i.) VVolphio indignatur, quòd ex Haymone referat, Christum nobiscum manere per magnitudinem Deitatis suæ, & non potius (quod maluisset) per glorificationem carnis suæ, seu per Maiestatem corporis sui, seu per transfusionem idiomatum naturæ diuinæ in humanam, vel realem idiomatum communicationem, denique per sessionem ad dextram Dei. Sed interim alia obiicit ex eodem autore, vt litem scilicet lite dirimat, & autoris auctoritatem eleuet; atque hæc dum agit, rursus incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdim. Ait enim Haymonē affirmare, corpora cœlestium tam fore subtilia post resurrectionem, vt quouis possint penetrare, & vbiuis vbi voluerint esse, semper tamen palpabilia. Ô talpa cæciorem scriptorem, qui nō videt quām multis modis quem pro se civitat, opinionem ipsius confutet! Si enim post resurrectionem id demum habitura sunt, quando omnia peruria erūt reddita, quid hoc ad tempus præsens facit? Si vbi volue-

1564622

OCN 68020317

30

## RESPONSIO VVARENBORGII

rintesse ibi erunt, non ergo vbi que uno momento erunt:  
si palpabilia futura sunt, quomodo ergo conformia cor-  
poris Christi erunt, quod ipse & sui impalpabile esse volunt  
in pane? Sed eiusmodi ~~opera~~ Hameimanni in ratioci-  
nando & adducendis veterum testimonij infinita possent  
recitari, si opus sit. Verum me nunc piget huius responsio-  
**Epilogus.** nis ad tam inepti ratiocinatoris calumnias ac pueriles ca-  
uillos. Quod autem hunc laborem coepi, tuo nomine feci,  
nihil veritus, quicquid monstrosus Hamelman minetur,  
se concessò maiori ocio (quem tamen non tempore, neq;  
senio impediri, quo minus aliquid boni præstet, notum  
est, sed crapula & mentis insanìa) Sacramentarios acriùs  
tractaturum. Scio enim & iam dudum sciui talem esse pu-  
gilem, qui non minus scipsum, quam aduersarios oppu-  
gnet: qui ignarus rerum de quibus litigat, magis prodat in-  
scitiam suam, quam alios conuincat errorum: qui ut  
Iesuitæ pontificis, ita ipse Iacobi Andr. & Selnecceri ster-  
cora legat & lingenda suis proponat: quidenique fumum  
pro igne, sonum pro nummo vedit, muscerdam pro pi-  
pere. Qui credere mihi non vult, bilancem adhibeat, vel  
potius mentem, & nihil fingere videbit. Sed nimis  
hæc multa. Deus conuertat, qui conuerti  
debent, ne diutius cum Saulo  
persequantur fideles,

• 2 •



FINIS.

